

Dans Rome, cité corrompue, Catilina s'est entouré d'hommes aussi dépravés que lui pour anéantir la République. Avant de passer à l'action, il leur tient ce discours.

<sup>9</sup>Quae quousque tandem patiemini, o fortissimi uiri? Nonne emori per uirtutem praestat quam uitam miseram atque inhonestam, ubi alienae superbiae ludibrio fueris, per dedecus amittere? <sup>10</sup>Verum enim uero, pro deum atque hominum fidem, uictoria in manu nobis est. Viget aetas, animus ualet; contra illis annis atque diuitiis omnia consenuerunt. Tantum modo incepto opus est; cetera res expedit. <sup>11</sup>Etenim quis mortalium, cui uirile ingenium est, tolerare potest illis diuitias superare quas profundant in exstruendo mari et montibus coaëquandis, nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? illos binas aut amplius domos continuare, nobis larem familiarem nusquam ullum esse? <sup>12</sup>Cum tabulas, signa, toreumata emunt, noua diruunt, alia aedificant, postremo omnibus modis pecuniam trahunt, uexant, tamen summa lubidine diuitias suas uincere nequeunt. <sup>13</sup>At nobis est domi inopia, foris aes alienum, mala res, spes multo asperior; denique, quid relicui habemus, praeter miseram animam?

<sup>14</sup>Quin igitur expergiscimini? En illa, illa quam saepe optastis, libertas; praeterea diuitiae, decus, gloria in oculis sita sunt; fortuna omnia ea uictoribus praemia posuit. <sup>15</sup>Res, tempus, pericula, egestas, belli spolia magna magis quam oratio mea uos hortantur. <sup>16</sup>Vel imperatore uel milite me utimini; neque animus neque corpus a uobis aberit.

Salluste